



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1658

§. 82. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos. v. 31.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45556

Paschatis tollendū ne omnes post eum current & sequerentur maxime extranei, quorū pars maxima erant tunc in Hierusalem. Vnde facile tumultus oriri posset, & ipse cum suis opprimere eos qui secum non sentirent. Ita loquebantur hypocritæ in arte sua magistri, sed non processit eis dolus iste, uti videbimus in decursu, sed larva sua est eis patenter detracta per sapientiam Dei:

Ⓞ Dio habeam ὁ Deus meus iniquitatem & diligam te toto ex corde, ut mihi bene sit propter te: & licet nos è regno Sathanz in regnum dilectissimi filij tui transtuleris, nequaquam tamen ab hostium impugnatione liberi evasimus, Hinc enim caro nos sollicitat, illinc mundus adblanditur, à fronte patiter & à tergo hostis impugnat nos potētissimus Diabolus. Conantur nos omnes separare à te Patre nostro vero & vivo, at nos imbecillitatis nostræ non immemores ad te Deum qui perfugium nostrum es, & virtus, confugimus, te etiam atque etiam obnixius deprecantes, ut in tam varijs ac infestis tentationum insulcibus, tu nobis robur & animum addas, ne his succumbamus ac superemur: sed tū Diaboli insultus tuo adfati presidio, fortiter repellamus, mundum & eius satellitium, divitias, honores, & pompas contempnamus. Carnem vero nostram cōcēcamus, domemus & spiritui subjiciamus, ut ita demum tanquam invicti milites, non ut Iudei, in æterna damnatione cruciari, sed abs te in regno tuo cœlesti, in illa æterna beatitudine coronari mereamur, Amen.

§. 32. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos. v. 31.

Mente revolvens tantam tamque gravem iniustitiam Principum Iudeorum ac Sacerdotum, malitiamque in hoc quod Christum volebant non examinatum, nec convictum occidi, contra juris regulam, atque ad solam instantiam suam & petitionem, revera ingentem arguo invidiam eorum contra Christum conceptam in cordibus eorum, Sed adhuc maior pestilentiorque rabies elucebit, cum quæ sunt secuta intelligemus, quia non solum mortem illi irrogari voluerunt, sed pessimum omnium suppliciorum genus, & huius finem mortem sempiternam & probrum. Sed quid est hoc? accipite eum vos Iudæi: Christum offerunt Pilato. Pilatus eum vicissim offert Iudæis! Revera agnosco Christum esse oblationem, obtulit eum Deus Pater hominibus, rursus homines eum sibi vicissim offerunt. Denique & seipsum obtulit, & homines eum Deo Patri offerunt in Liturgia seu Missa optimo modo.

Ⓞ Fatui Iudæi, qui talem thesaurum, emptum saltem 30 argenteis, nullo pretio & graus offertis Pilato. & ille, uti gallus gallinaceus apud Æsopum

Et 3

pum

pam, eundem offert vobis, utinam ad Patrem suum cœlestem eum deseratis, vel ad matrem. Hi norunt pretium eius. Certe plusquam totum mundum pro eo acciperetis. O insipientes negotiatores.

§. 83. Et secundum legem vestram iudicate. v. 31.

Pilate, quid dicis? nescio an intelligas quod dicis: nam si hoc verè dicere, in scriptura vel lege vestra de eo scriptum est sic igitur agite cum eo, si scriptum est. Tunc sane valde, subtiliter loqueris. Sed iste sermo non potest probari, cum in lege Iudæorum multa de Christo scripta sint futura de eo, quæ iniqua sunt. Sed forte nomine legis non intelligis totam scripturam eorum, sed dictamina agendorum & omitendorum secundum iustitiam si igitur sic verbum tuum debet capi, bene quidem loqueris, sed alie difficultates oriuntur, quia Iudæi nolunt ex iustitia cum eo procedi. Pilate miseret me tui & tui similibus. Verè potentes in magnis versantur periculis ut video ex hoc solo, quod nunc audio, verbo tuo.

GRATIAS ago tibi Domine Iesu, quod non sum unus ex potestatibus huius sæculi, sed in minore gradu Ecclesiastico constitutus possim vacare à tanto periculo, vel periculorum retibus. Sed & oro cum Ecclesia tua te Omnipotens sempiternæ Deus cuius spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur & regitur, exaudi nos pro universis Ordinibus supplicantes ut gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviamus, maxime qui tua miseratione susceperunt regnorum gubernacula, & iustitiæ administrationem ut quæ recta sunt videant, & iudicio iusto pronuntient.

§. 84. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quemquam. v. 31.

Quod alias sæpe contingere solet, ut, cum agitur de aliquo reo iudicando, disputetur de iurisdictione eorum, qui iudicandi potestatem sibi competere præsumunt. Idem nunc evenit in iudicio, de Christo, instituendo. Verum tamen longe alio modo, quam alias fieri solet. 1. quia Iudices hic iudicandum à se rejiciunt & abdicant, alias singuli ad suum tribunal reo strahere solent. 2. Nilominus Christus non liberatur, sed nova forma quadam iudicij mixti vexatur, nam Pontifices volunt examen rei & sententiam mortis sibi relinqui, Pilatus sine cognitione debet discutere qualitatem supplicij, omnium quod potest esse pessimi. Ita profecto est valde nova forma iudicij, in quam harrentem Pilatum ut præcipitent Iudæi dicunt. Tuum est esse Carnificem nostrum, nos iudicare. Cum iam iudicaverimus illum, esse omnium hominum deterrimum, cu